

AB  
10888

*W. Sch.*

004.



*H. o. 273. a.*

RESPONSVM

EX FACTO SINGULARE, CIRCA  
SUCCESSIONEM AB INTESTA-  
TO: VBI QUÆRITVR: AN IN NEPOTI-  
bus fratris lineæ collateralis, quarto gradu,  
Duplicitas vinculi, quam vocant, &  
jus repræsentationis ex-  
piret?

EDITVM,

A

TOBIA KIRCHMAIR. I. V.  
Doctore.



ARGENTORATI.

Typis PAVLI LEDERTZ.

M. D. C. XXIV.

EXTRACTUM  
GULIARBE, CIRCA  
SUCCESSIONEM AB INTESTA



WERTMUTORAT  
THERIALE  
DE





*Illustri & generosissimo  
Domino,*

**DOMINO WOLFF-  
GANGO PHILIPPO COMITI IN  
Saxonia Et Zwenbrückhen/ DOMINO IN Siecha  
tenberg & Dachsenstein/ Marechallo & Advo-  
cato Argentinenfi. &c. Domino  
suo clementi.**



*UM nuper officio praxeos iu-  
ris peregrè fungebar, & sa-  
tagebam, Generosissime Co-  
mes: Lis practica in Dicaste-  
rio VVesthovensi, Dynastie  
tuæ municipio, ante sesqui-  
annū excitata, & introducta: sed propter cer-  
tum impedimentum, sinistro omine interie-  
ctum, nondum composita, nec decisa: A quo-  
dam homine paupere, honesto tamen, Libero-  
rum suorum nomine qui hereditatem illo loco  
ab intestato affectant: proponebatur mihi hac.  
Ajebat ille, ex parte adversa Filios in vivis  
superesse. quorum pater defuncto intestato  
de cujus hereditate quaritur; ex uno parente,  
A 2.                   velut*

PRÆFATIO.

veluti patre tantum frater erat, id est, con-  
 sanguineus. Ex sua parte misellos vivere Ne-  
 potes; quorum avia Defunctum illum intesta-  
 tum attingebat ut soror, ex utroq; parente, &  
 patre & matre simul, id est, soror erat germa-  
 na. Indè rogabat, filijne, an Nepotes à succes-  
 sione alieni, & removendi sint? Scire enim  
 desiderabat ut pater, quid liberis suis speran-  
 dum sit de bonis hereditarijs. Intelligebam, &  
 suscipiebam rem propositam, qua pro gravita-  
 te sua digna erat indagine, deliberandam: &  
 domum reversus in Musæum arripiebam, &  
 inspiciebam Libros juris: & quosdam ea de re  
 qui scripserunt Authores, quos vocant, con-  
 sultentes. Ex his si fortuna volet, ut haurirem:  
 vel saltem conjecturâ colligerem: quid juris  
 suo tēpore foret pronūciandū ex factō. Sed ut  
 liberè eloquar, quod deprehendo, & sentio: quo  
 sæpius & accuratius Consilia lego, voluo, &  
 revoluo: eò minus arident, minus placent,  
 minus satisfaciunt. Nam infecta, involutaq;  
 sunt errore epidemico; quo vulgus Interpre-  
 tum communiter afficitur, & laborat: quasi  
 Repræsentationis jus in tertio linea collatera-  
 lis gradu in totum evanescat: & nullus Repra-  
 sentationis in gradum insequentem quartum  
 effectus

PRÆFATIO.

effectus remaneat. Insolens, ita me Deus amet, error: & profligandus à limine iudiciorum: ceu pestis iustitiæ, & æquitatis, quod hic uno verbo significasse sufficiat. Evici enim argumentis solidis, ex fontibus iuris errorem palpabilem; in Responso meo: quò me studio brevitatì refero. Nunc ad institutum redeundum. Hoc meum quaecumq; opusculum, Generositati tuæ inscribo. nam materia eius maxime Domini authoritati convenire mihi videtur; sub cuius iurisdictione, & dominatu litigium versatur, & controversitur. Porro etiam mos & stylus fori, vel consuetudo regionis idem ut fiat suadet, & postulat à me. Ex quibusdam enim audivi Scabinis, & Assessori- bus Dicasterij Vesthovensis, inter conversandum cum illis: in similibus facti speciebus, pro Nepotibus ibidem fuisse sententiam prolatam. Et rectè quidem. Nam ratio iuris scripti communis, sive Romani, si dextrè excutias, patrocinatur: & iuxta Consuetudo Loci, sive ius municipale adstipulatur. Vel consuetudinis solius aliàs ea vis ac potestas est: ut pro Lege stet, ubi Lex deficit: aut etiam vincat Legem, si fortè Lex dicam impingat, vel dicat contrà. quod notius est, quàm ut probatione ageat.

P R A E F A T I O .

Non moveor, quòd glossographi Doctores pleriq; ad textum iuris novissimi. Representationis ius angusto fasce comprehendunt: putà præcisè tertio gradu constringunt, & determināt. Nam superficiem tantum verborum in oculis habent, & sectantur. Apicem verò iuris re-ctum, & verum sanctionis scopum; mentemq; Legislatoris genuinam; cuius major, quam verborum ratio habenda est: undè quippè apparet Lex ne sit extendenda, an restringenda: quod bonà eorum venià dictum velim, pro veritate adstruenda, non tangunt: nedum assequuntur, ut in Responso, quod dixi, in utramque partem pro & cōtra discussum videre est. Obnixè igitur maiorem in modum oro, Generosissime Comes: Respicias benignis & clementibus oculis chartaceum hoc munusculum: ex Iustitiæ officina depromptum: in signum omnino humilis subiectionis à me oblatum. Et accipias illud gratiosà manu: quòd reddi curo, per Laurentium Sermingerum, Iuris utriusq; Doctorem, Comitum Palatinum Casarem, Consiliarium dignissimum, Iuris consultum pragmaticum eximium, quem eo nomine amo, veneror, colo. Deus Opt. Max. Generositatem  
tuam



PRÆFATIO.

tuam benè valere; & vivere faciat vitam  
longissimam, felicissimam, securissimam ex  
animo precor. Argentorati pridie feriarum  
S. VVolffgangi, Annæ ad finem decurrentis  
1624.

Tuæ Generositatis devotus,  
& addictus.


Tobias Kirchmair. D.

A 4

Schema

I.

Schema Personarum,



C A S U S.

**E**X facto consulendum, & iudicandum esse arguit evidenter. l. 52 §. 2. ff. ad L. Aquiliam. & l. 3. ff. de Oblig. & Actionib. Factum igitur præmittendum: hoc extra controversiam positum sic se habet. Marzoffus junior in schemate hîc supra Asteriscum collocatus moritur; post se relictis Adamo,

damo, Anstetio cum consortibus, fratrum consanguineorum filiis superstitibus à dextro latere. A sinistro latere Ioanne, Barbara, Maria, sororis suæ germanæ Ottiliæ nomine Nepotibus, in vivis quoq; adhuc. Quæstio indè oritur: Filijne fratrum sint admittendi exclusis Nepotibus? An potius Nepotes præferendi in successione ab intestato?

**EXAMEN CASVS PRAEFIGVRATI AD  
NORMAM IVRIS.**

Ratio dubitandi est: Repræsentatio in linea collateraliali tertio gradu expirat. Filij fratrum tertio gradu sunt: Nepotes quarto. Ergò hi ab illis excluduntur. Contrarium nobis placet: quod hoc probo syllogismo: Quibus heredibus competit cognatio plena, seu consanguinitas & uterinitas, iidem præferuntur alijs, quibus cognatio minus plena, seu consanguinitas sola inest. *per Novel. 118. c. 3. l. amite. §. C. commonia de successione. l. consanguinitatis. C. de Legitimis heredib. §. ceterum. Inst. de legitima agnat. success.* Atqui Nepotibus hîc competit consanguinitas & uterinitas: Filijs contrò fratrum sola consanguinitas. Ergò Nepotes à filiis fratrum nò excluduntur: sed potius præferendi illis sunt.

Hoc argumento Ottilia in schematismo supremo loco à sinistris, si adhuc viveret; vel viveret saltem ejus filia; tam hæc, quàm illa quin repelleret fratres illos à dextris, extra omne dubium est. *d. c. 3.* Magis verò filios horum. nam qui non admittit proximior, is & remotior excludit. Porro cognatio illa plena etiam in Nepotibus ad-

A S                    hus

5.  
huc hæret; transmissa in eos naturâ. quod inferi-  
us probabimus benè. Hinc pari jure cēsendi sunt,  
cum parentibus suis, nam pares naturâ idem jus  
exigunt. *l. lege. 14. C. de legitimis heredibus.*

Observandus est casus; quo filij fratris defun-  
cti, cum patruo suo superstite, in successione alte-  
rius patruo concurrunt. Nam jure veteri civili fra-  
ter excludebat fratrum filios. *l. consanguinitatis. 3.*  
*l. Et lege. 14. infra. C. de legitimis heredibus.* Pro re-  
medio hujus exclusionis correctorio, Justinianus  
Imperator jure novissimo civili, repræsentationē  
adinvenit, & introduxit; quâ filij fratris cū patruo  
in secundo gradu, succedunt hodiè in locum &  
portionem patris sui defuncti; ipsi aliàs in gradu  
tertio constituti.

Instas, Nepotes sunt quarto gradu. Ergò re-  
præsentationis non capaces: ut matrem suâ Bar-  
baram repræsentent. Solutio facilis est & expedi-  
ta. Aliam esse repræsentationem singularem loci,  
& gradus: aliam generalem juris. Illa cessante, pro-  
ut cessat in facti specie proximè præposita, gradu  
tertio. Hanc non cessare: ut quæ certo gradu non  
includitur; sed ubiq; compētīt, cuiq; heredi, pro  
qualitate sua. quod interim observa: donec dein-  
ceps rem plenius cognoscas.

Repræsentatio loci & gradus, aio, certo lo-  
co quiescit, & cessat: Ratio est: quia in causis cor-  
rectorijs, non solet fieri extensio de uno casu in al-  
lium. *l. si verò. §. de viro. ff. solut. matrim. l. ult. C. de*  
*sacros. Ecclesijs.* Huc pertinent verba illa Textus,  
Novel.

*Novel. 118. c. 3.* Hujusmodi privilegium in hoc ordine cognationis solis præbemus fratrum masculorum & fœminarum filijs & filiabus, ut in suorũ parentum jura succedant. Nulli enim alij omninò personæ ex hoc ordine venienti, hoc jus largimur. Sed & ipsis fratrum filijs tunc hoc beneficium cõferimus, quando cum proprijs iudicatur thijs masculis & fœminis, sive paterni, sive materni sint. Et paulò post: Fratris & Sororis filijs tale privilegiũ dedimus, ut in priorũ parentũ succedentes locũ, soli in tertio constituti gradu, cum iis qui in secundo gradu sunt, ad hereditatem vocentur. Hæc itaque verba Novellæ sonant strictè, secundum quid, & certo respectu: puta correctionis adhibitæ, & privilegii, seu beneficii indulti intuitu, in casu concurrentiæ filiorum fratris, cum patruo. Perindè enim in causis privilegiorum seu beneficiorum, ut in correctorijs; extensiones insolentes sunt. Vel non fit extensio: quando jus personale contra ius commune inducitur. *l. quod favore. 6. C. de Legibus. c. sanè. de privil. & privilegiat. l. 196. ff. de Reg. juris.* Ea propter cum mica salis accipienda, & continenda sunt in cancellis suis: ne simpliciter, vel generaliter evagentur extra limites præscriptos: quasi hac repræsentatione deficiente, nulla sit alia, quod notaudum. Ne in errorem incidamus, quo laborant ij hodiè, qui sibi persuadent: ultra tertium Cognationis gradum lineæ collateralis, nullius generis esse repræsentationem. Error explo-

Repræ

Repræsentatio vero iuris certo loco non cō-  
 fringitur, vel cessat. hæc quænam sit aperiam &  
 repetam iterum atq; iterum prolixius, quam ad rē  
 præmitto. Cognatos ex latere, vel collaterales ali-  
 os esse ab utroq; parente: Alios ab uno parente.  
 Ab utroq; parente sunt fratres Germani, ex uno  
 patre & una matre prægnati. Ab uno parente por-  
 rō sunt alii à patre, alii à matre. A patre fratres  
 consanguinei, qui unum eundemq; habuerunt pa-  
 trem, sed diversas matres. A matre fratres uteri-  
 ni, quibus una fuit mater, sed non unus idemq; pa-  
 ter: propter diversum matris suæ matrimonium.  
 Pro fundamento sit. Germanis fratribus ius hoc  
 præcipuum esse: ut illis existentibus, neq; consan-  
 guinei, neq; uterini fratres admittantur ad succes-  
 sionem defuncti; de cuius hereditate agitur. *Auth.*  
*cessante. & Auth. post. fratres autem. C. de legitimis he-*  
*redib. junctâ Novel. 118. c. 3. in princ.* Hoc ius vocant  
 respectu cōiūctionis geminæ à patre & matre; ius  
 duplicis vinculi: aliàs ius utriusq; lateris: cui oppo-  
 nitur respectu cōiūctionis simplicis ex patre tan-  
 tum, vel ex matre tantum; ius unius vinculi, seu u-  
 nius lateris. Vtrumq; verò ius in filios fratrum,  
 Nepotes, pronepotes propagatur & continuatur:  
 ut heredes: qui suo modo ius illud suum à paren-  
 tibus ceu Auctoribus suis nacti sunt: Et eadem o-  
 minind potestate, eodemq; iure gaudent; quod pa-  
 rentes & auctores eorum præmortui habuerunt.  
*lex. l. heredem. 59. ff. de reg. juris.*

Legis enim potestate & interpretatione fit;  
 ut

ut quem quis suo loco heredem se deficiente reliquit; is una eademque persona illocum intelligatur. §. 1. *Auth. de jurejur. à mort. prest. Nov. 48. Dd. in l. Qui Roma. 122. §. Agerius. ff. de verb. obligat.* Nec solum heredis appellatio ad proximum heredem: sed etiam ad ulteriores refertur: ut heres heredis primi defuncti heres sit. *ex l. heredes. 65. ff. de verb. significatione.* Ita si est persona repræsentans defunctum; ea repræsentatio ne quidem in secundo, tertioque successore extinguitur. Imò si successio est, ut est. *in l. nihil est aliud. 24. ff. de verb. significatione.* in universum jus defuncti ejus, cui proximè succedimus: consequens erit, heredis heredem primo quoque authori succedere; cum illius etiam jus in hoc resideat, ei que inhæreat. *Dd. ad d. l. heredes. ff. de verb. significatione.*

Prætereundum non est; Fratrum utroque parente conjunctorum filios, vel duplicis vinculi; extra unicum casum concurrentiæ cum patruo ex eodem patre & eadem matre, vel duplicis quoque vinculi; non succedere jure repræsentationis, à Justiniano contra jus commune, ut dixi, introducto: sed ex sua persona, & jure suo proprio. Eodem jure repræsentationis non; nisi in casu concurrentiæ solo; filii fratrum ex uno parente, cum patruo suo simplicis vinculi, vel ex uno quoque parente succedunt: aliàs ex sua persona, suoque iure proprio: Ubi nimirum duplicis vinculi fratres, vel fratrum filii non supersunt. *auth. cessante. & auth. post fratres autem. C. de legitimis heredibus. Novel. 118. c. 3.*

Itaque

Itaq; successio repræsentalis, quæ fieri dicitur in  
stirpes: ubi plures fratris defuncti filij, omnes si-  
mul tantum, quantum patruus; & pater eorum  
habiturus fuisset, si supervixisset, capiunt: unico  
casu, nimirum in concursu filiorum fratris, cum  
patruo locum habet: & præter hunc casum ubiq;  
Locorum cessat. Quia privilegium repræsentatio-  
nis solum filijs fratrum datum est; quando cum  
patruis, vel alijs thii succedunt: & nulli alij omni-  
nò personæ. *ex alleg. §. hujusmodi. Novel. 118. c. 3.*

Et hoc adeò verum est, ut etiam filij fratrum  
inter se soli, ejusdem vinculi, ejusdemque gradus  
tertij; non succedant patruo jure illo repræsentati-  
onis stricto instirpes: sed jure personali commu-  
ni æqualiter in capita. *tex. §. hoc etiam addendum.*  
*in si. Instit. de legis. agnat. success. & l. post consanguini-*  
*neos. §. hæc hereditas. ff. de suis & legitimis heredibus.*  
*Zaf. in Epit. Feud. de successione Feud. & 1. Resp. 7. A-*  
*zo, Baldus & Salicetus in Auth. Cessante. C. de Legit.*  
*heredibus.* Et hoc jus Carolus Quintus Imperator  
confirmavit Constitutione sua promulgata anno  
1529. Comit. Spirensibus Art. 29. ut refert Myn-  
sing. 3. *Observat. 94.* Ubi hæc verba reperies. Est e-  
nim firma, inquit, & indubitata juris regula, quæ  
dictat; omnes transversales ejusdem gradus ad suc-  
cessionem in capita vocari. Nec verum est, fratrum  
filios hac specie patris personam repræsentare, e-  
jusve persona niti, nam suo jure successionis jure  
suffulti, non ex patris, sed ex propria sua persona  
vocantur, ut merito tot fieri partes hereditariæ de-  
beant,



beant, quot sunt personæ, hæc ille.

In cæteris igitur casibus locum habet successio personalis, quæ fieri dicitur in capita: ubi tot sunt portiones, quot sunt capita, sive personæ. de hac Imperator *in anth. ult. C. de legit. heredib.* Post fratres, inquit, fratrumq; filios vocantur, quicumq; gradu sunt proximiores. Ut pares in gradu pariter admittantur. Hic mitum in modum in utramque partem Doctores sese torquent, & conflictantur: an generalibus his verbis, jus duplicis vinculi, seu utriusq; lateris, quod fratribus germanis, eorumq; filijs dum vivebant competijt, ijs mortuis, Nepotibus & respectè filijs derogatum sit?

Ajunt quidam: sed absq; lege, sola communi opinione seducti. Erubescat verò Jurisconsultus sine lege loqui: neq; fas sit cuiquam de suo Legi addere. *jux. Zas. cons. 10. num. 35. Vol. 1.* Doctores licet magnis non esse credendum: nisi probent opinionem suam: Adeoq; etiam à communi opinione Judicem posse recedere in judicando; quando talis opinio depræhenditur falsa: vel convinci potest evidenti ratione; adstruit idem Everhardus à Midelburg. *in loc. ab Authoritate num. 12. & 13.* ubi allegat illud Senecæ: Non te moveat dicentis autoritas, sed quid dicatur attende. Exempli gratia communis est opinio: Omnes fratrum filios patruo ab intestato succedere in stirpes. Sed falsam hanc esse opinionem, ex Mynsingero percepisti. Ergò rejice eam. Opinionem sanè ratio & veritas semper excludit. *tex. can. Veritate. dist. 8 ubi gl.*

9.  
gl. Veritas enim valet, & invalescit, & vivit in aeternum, & obtinet in secula seculorum. *ut est in can. consuetudo. d. dist. 8.* Communes opiniones fluctibus comparat; & errorum fomenta vocat Zasius, in epistola ad Alciatum JC. scripta, anno 1521. Nec opinio sequenda, quæ probabili ratione caret: vel lege probari non potest: multò minus ea, quæ veritati juris adversatur. Sed inconcussam manere debet, opinioni veritatem esse anteponendam. *tex. c. nuper à nobis. ubi gl. in verb. videtur. Extra de bigam. non ordinandis.*

Contrarium opinioni, puta jus illud duplicis vinculi vel utriusq; lateris, quod in fratribus & fratrum filijs nemo negat; etiam in Nepotibus reverrà vigere; convincit Textus. *Auth. ult. C. de legitim. heredib.* Verb. Sola namq; cognatio spectatur in talibus. Vbi verbum Sola restrictum est ad primariam causam, quæ est Cognatio: quam consequitur gradus, ut causa secundaria spectanda. Sub verbo Tales, intelliguntur maximè Nepotes, ut post fratres, fratrumque filios proximi, in ordine collateralium personarum. Textum Constitutionis locupletissimum esse testem, adstruit Everhardus à Midelburg in *præamb. loc. Legalium num. 4.* Cognatio verò nihil aliud est, quàm jus sanguinis. *tex. l. 2. ff. Undè Cognati. ibi, quos sanguinis ratio vocat. tex. l. vel si sanguinis. 12. d. tit. tex. l. qui in adoptionem. ff. de adoptionibus. tex. l. si adulterium. §. 1. ff. ad L. Iul. de adult. l. 4. C. de bonis vacantibus.* Porro sanguinis jus à patre & matre simul nativitate quod

quod acceptum est, duplicitatem vinculi diximus. Atqui sanguinis, cognationis, duplicitatis vinculi jura, naturalia sunt jura æquè, ut nomina naturalia. *arg. l. 10. §. 4. & 5. ff. de gradib. §. sed hodie Inst. de Adoptionibus.* Ergò immutabilia. Ita enim habet Textus: Naturalia jura semper firma, atq; immutabilia permanent. *§. penult. Inst. de jure nat. gent. & civili.* Tex. Jura sanguinis nullo jure civili dirimi possunt. *l. 8. ff. de reg. juris.* Tex. Nulla civilis ratio naturalia jura corrumpere potest. *l. 8 ff de capite diminutis. & §. ult. Inst. de legit. agnat. tutela.* Tex. Naturalis ratio auctoritate Senatus commutari non potest. *l. 2. ff. de usufr. ear. rer. qua usuconsum.* Hoc ipsum etiam philosophus animadvertit, dum *lib. 5. Eth. c. 11.* ait: Jus aut est legitimum, aut naturale, Naturale quod ubiq; eandem vim habet, nec ullius auctoritate commutari potest. Atque hinc luce clarius liquet: Justinianum Imperat. duplicitate vinculi Nepotes non exuisse, vel privasse, quod quia expressè non fecit; nec præsumitur voluisse. *c. ad audientiam. de Decis.* cum similibus. Voluisset enim contra jus naturale: quod spolium tale non admittit: & in odium personæ suo jure nativo succedentis, quæ potius favore digna est. Odia restringenda & favores ampliandos, habet. *c. odia. Ext. de reg. juris in sexto. l. cum quidam. 19. ff. de liber. & posthumis.*

Ideòq; ex *Auth. ult. C. de legit. heredibus*, præallegata verba generalia, pro materia subjecta, ad anteriori loco positam distinctionem cognatio-

B

nis,

II.  
nis, sive cognatorum, in eos qui duplicis vinculi, sive utriusq; sunt lateris, & alios qui simplicis vinculi, sive unius sunt lateris restringenda, & interpretanda videntur. *arg. c. sedes. de rescriptis. l. j. be-  
nus. C. ad SC. Velleian. l. qua. o. §. inter locatorem. ff. Locari. & l. gradatim. §. i. ff. de mune. ibus & honoribus.*  
Et hoc ex verb. Cognatio, quod instar rationis interpretationem talem suadet. Legem enim recipere restrictionem seu interpretationem restrictivam à ratione posita seu scripta in lege: etiam quādo unica tantum ratio conjecturari potest: notant *Pet. Cy. Paul. de castro. & Dd. in. l. non dubium est. C. de Legib. Panorm. in c. audien. iam. de Decis. Idem in c. fide rescript. Idem in c. nihil. de Elect. Alciat. ad rubr. ff. de novi oper. nunc.* Nullum enim verbum ita generale est; quod non ex consideratione debitarum circumstantiarum civiliter intelligi, & interpretationem recipere possit. *secundum Oldr. in Consil. 146. circa fi.* Nec novum ut præcedentia restringant subsequētia; si juris vel æquitatis ratio subsit. *tex. cum glo. in l. si cum fundum. ff. de verb. significatione. tex. cum glo. in l. si quoties. C. Familia ercisc. tex. cum glo. in c. causam. Ext. de rescriptis. Panorm. in c. ex parte. de Sponsalibus.* Itaq; quæ sequuntur declarantur ex præcedentibus. *tex. l. si servus plurimum. §. i. ff. de legat. i. b. cum testamento. §. si. juncta glo. ff. de heredib. instit. cum similibus.*

Imò qui fratrem, vel fratris filium ex uno parente existentem; Nepoti superstiti, cujus avus defuncto utroq; parente jungebatur præferunt: vim faciunt

faciunt Constitutionibus imperatorijs: nimirum  
*Auth. cessante. Auth. Post fratres autem. Et Auth. Post  
 fratres fratrumq; C. de legitim. heredibus.* His enim  
 Authenticis tribus successio quæ est inter fratres,  
 eorumq; filios, & quatenus inter hos repræsentatio  
 locum habeat, ponitur priori ordine: posteriore  
 ordine successio earum personarum, quæ fra-  
 tres, fratrumq; filios sequuntur. Et utraq; successio  
 distinctè & seorsim per se sola in contextu confi-  
 deratur. Intervenientibus igitur & concurrenti-  
 bus personis ordinis superioris, cum personis or-  
 dinis inferioris; si de prærogativa successionis liti-  
 gium sit: ex facto pro qualitate cognationis diu-  
 dicandum illud est. nam jure scripto res satis ex-  
 pressa non est: & ordine solo verborum, si indè ar-  
 gumentari velis, nihil est fallacius, & captiosius.

Huc accedit, quod *in d. Auth. ult.* vocula *Post,*  
 personis sic ( post fratres fratrumq; filios ) apposi-  
 ta: personarum illarum non esse simpliciter signi-  
 ficat: ut arguit manifestè Textus concordantis  
*Novella 118. c. 3. in fine,* verb. Si verò neq; fratres ne-  
 que filios fratrum defunctus reliquerit. Indè re-  
 ctâ insta: At filij fratrum interminis propositis hîc  
 sunt. Et intrepidè conclude. Ergò aliud jus est, ubi  
 filij fratrum, & fratris aut sororis Nepotes super-  
 sunt. nam quartus gradus, Nepotum fratris, ( &  
 aliorum ulteriorum ) ut jam jam intellexisti, per se  
 solus in contextu sese offert. non intervenienti-  
 bus alijs personis gradus prioris. Sicut & tertius  
 gradus, filiorum fratris, per se solus intelligitur,

non intervenientibus alijs personis gradus posterioris. Et hæc plana sunt *dictis locis*.

Itaq; jus variat in facto : In facto inquam, jus variat ratione personarum intervenientium filiorum, & Nepotum. In causa jus esse positum. ait Alfenus in *l. si ex plagis. §. in clivo. ff. ad L. Aquil.* Eodem recidit, quod respondet Martianus in *l. i. §. Divus. ff. de Sicar.* Jus ex re constituendum : id est, ex circumstantia negotij, controversi apparere, quid pro jure statuendum sit : ut interpretatur Oldendorpius. ut breviter jus in causa positum sit, in facto, & facti cognitione. Vulgus interpretum dicit jus ex facto oriri. Ex facto igitur subjecto jus sumendum : non ex regulis generalibus Legum aut Constitutionum : undè jus non est sumendum. nam hoc prohibet *l. i. ff. de reg. juris. verb. non ut ex regula jus sumatur.* Omnes enim regulæ juris ita intelligendæ sunt : non ut perpetuò, sed ut plerunq; ita obtineant : quandiu ratio in casibus diversis nō mutatur ex *causis* cuiusdam modo. *tex. l. Pedius. §. 1. ff. de incendio ruina n. fr. l. jusjurandum. §. 4. §. non semper. ibi,* ex rerum, & personarum diversitate. *ff. de jurejur. Arguendo ex l. 3. in pr. & §. 2. ff. de acquir. rerum domin. & l. i. §. quod autem. vers. id verò. ff. de rerum divisione.*

Non obstat gradus prærogativa, cujus *d. cap. 3. Novel. 118. in fine* mentio fit : verb. Omnes deinceps à latere cognatos ad hereditatem vocamus : secundum unius cujusq; gradus prærogativam : ut viciniore gradu ipsi reliquis præponantur. Nam  
præro-

prærogativa illa commune adjunctum est omnium personarum succedentium cujusq; ordinis: Excepto casu, si filij fratrum cum patris concurrant. Ergo & succedentium illo ordine personarum. Ita q; ut propior gradu, potior sit successione, subintellige hoc, cæteris paribus. Duplicitas verò vinculi adjunctum est singulare, & præcipuum. Hoc jure singulari & præcipuo: Barbara ex schemate nostro, si adhuc esset in vivis, excluderet filios fratrum adversarios, non jure repræsentationis stricto: quia gradu esset cum illis æquali tertio. Repræsentationi verò tantum locus est in gradu inæquali: Veluti quando cum fratre gradus anterioris, filij fratris concurrunt gradus posterioris, ejusdem tamen vinculi. Non in gradu æquali: ut de filiis fratrum inter se solis supra retulimus. Hinc Nepotes in terminis nunquam dixerimus succedere jure repræsentationis Justiniano: sed jure illo proprio, & præcipuo duplicitatis inter se in capita.

Non moueor si arguas à contrario sensu: Si fratres vel fratrum filij non supersint, reliqui cognati admittuntur. *extex. Novel. 118. c. 3. in fine.* Ergo si supersint non admittuntur. Nam contrarius sensus non arguit: Ubi ratio juris repugnat: aut absurditas indè subsequitur: Ratio juris est; quod ab avo ad suum Filium, à filio ad Nepotem par omninò jus cognationis, necessitudinis, & sanguinis promanat; Et hoc jus nullo jure civili, mutari, dirimi, corrumpi potest. Mutat verò, dirimit, &

corrumpit quisquis separat, cogitatione saltem. Ergò in rationem juris peccat: & committit absurditatē. Sic in opposito paralogismus est à vitioso consequente. In numero reliquorum cognatorum primo loco stare Nepotes ipsemet concedis. Cave igitur, Ne illis jus suum sanguinis deroges: quod nec Imperator Justinianus in Constitutionibus suis, si citra invidiam accipias, & sinistrè eas non interpreteris, illis derogatum voluit. Nec est quod dicas, Reliquorum verbo, fratribus & fratrum filijs exclusis, alios cognatos intelligi. Indè enim non sequitur, hos esse diversæ cognationis à parentibus suis, undè descendunt: sed potius esse ejusdem cognationis hanc consecutionem collige *ex l. potest. 95.* Ubi reliquorum appellatione universi, sive omnes significantur, & continentur. *janā à l. ceterorum. m. 106. ff. de verborum & rerum significatione.*

Obijcis fortè nobis: Fratres ex uno parente, eorumq; filij admittuntur ad successionem quoties fratres, vel fratrum filij ex utroq; parente non sunt. *Auth. cessante. & Auth. post fratres autem. C. de legitimis heredibus.* At in casu proposito ex nostra parte fratrum filij sunt ex uno parente. Ex vestra verò parte fratres & fratrum filij ex utroq; parente non sunt: sed tantum Nepotes. Ergò ex nostra parte fratrum filii ex uno parente ad successionem admittendi. Resp. Concedo in thesi majorem propositionem eatenus, quatenus jure circumscripta est: & τὸ non esse, ἀπλῶς simpliciter intelligitur: ut  
est



est sensus Constitutionis Imperatoriae. Non *κατὰ* privativè: quo modo non est, qui mortuus est, seu in rebus humanis amplius non est. ut habet *l. malieris. 13. §. 1. ff. de verborum significatione*. Esse tamè potest fictione juris per heredem, maximè suum, filium aut nepotem, qui domestici heredes sunt; & viuis parentibus quodammodo domini existimantur: propter continuationem domini; quæ cœpit viuis parentibus. *tex. §. 2. Inst. de hered. qualit. & l. 11. ff. de liber. & posth.* Et hoc dominium universum jus concernit, in quo defuncti parentis personam sustinent. *tex l. 24. ff. de verborum significatione. l. 62. ff. de regulis juris & l. 24. ff. de acquir. rerum domin.* quod eo loco habetur, quasi parens vivus adhuc esset. quia tantum operatur fictio in casu ficto, quantum veritas in casu vero. *tex. l. un. in prin. C. de rei uxor. act.* Everhardus à Midelburg in loco à vi Fictionis. num. 4. Minorem propositionem fratres ex utroque parte, & filios eorum, ex nostra parte non esse, pernego. Nam sunt fictione juris, & *κατὰ δίκαιον*, ex mente & sententia Constitutionis Imperatoriae. Fuit enim soror Ottilia ex utroq; parente cognata: fuit & filia Barbara Ex his filij, & respectivè nepotes successores adhuc supersunt in vivis. Obiter sciendum nepotis appellatione neptem intelligi; sicut filij appellatione filiam constat *ex tex. l. si quis ita. 16. ff. de testam. tut.* Nam sermone masculino utique sexus fœmineus includitur. *l. 52. l. 122. l. 195. ff. de verb. significatione. l. si is qui. §. 1. ff. de jurisdic.* Undè si ve masculi sive fœminæ supersint, nihil interest.

B 4 Virges,

Virges, sed filij non sunt, quos Lex seu Constitutio Imperatoria designat. Falleris. Nam sunt ut dicitur fictione juris, & κατὰ δίανοιαν ex mente & sententia Constitutionis: quæ rationem intenditatis, & æquitatis in se habet. Non enim nuda & arida verba Legum & Constitutionum sunt inspicienda: sed mens & sententia earundem: aded non solum illud Lege vel Constitutione continetur; quod verbis Legis & Constitutionis exprimitur; sed illud etiam quod ex sententia, & mente Legis vel Constitutionis per certam ratiocinationem, indicatur, & eruitur. Scire enim Leges, inquit Celsus, non est verba earum tenere; sed vim & potestatem. *l. scire. 17. ff. de Legibus.* Siquidem ratio & sententia Legis anima est: nec magis Lex sine ratione, Lex dici potest: quàm exanimatum corpus homo. Et sententia verbis præponitur; ut animus corpori. *c. sedulo. 38. dist.* Sic verba serviunt intentioni; & non contra. *c. secundo requiris. de Appellat.* Itaque non tam verba, quàm mens, in qualibet dispositione tam Legis, quam Hominis, est inspicienda. *l. in conditionibus primum. 19. ff. de conditionib. & demonstrationib. l. cum proponebatur. 64. ff. de legat. 2.* Everhardus à Midelburg in loco à ratione legis. *lex l. neque leges. 11. l. non possunt. 12. l. cont. a. 29. cum l. seq. ff. d. tit. de Legib. tex. l. cum mulier. 47. ibi, si tamen ex mente legis tumet. ff. soluto matrim. tex. l. verbum ex legibus. §. 1. ff. de verborum & rerum significatione.*

Atque hinc intellige sub filiis Nepotes in thesi; prout filiorum nomine Nepotes jure aperto veniunt.

niunt. *ex l. 201. ff. de verb. significazione.* ubi ait Julianus : *justa interpretatione recipiendum est: ut appellatione filij sicut filiam familias contineri sæpè respondimus; ita & Nepos videatur comprehendi.* Jabolenus largius, Filij appellatione omnes liberos utriusque sexus, & gradus cujusvis, intelligi vult. *in l. filij. § 4. ff. eod. tit. tex. l. liberorum. 220. § 1. verb. Filij enim appellatione sæpè & Nepotes accipi, multifariam placere. & §. 3. verb. Filiorum appellatione omnes, qui ex nobis descendunt contineri. ff. eod. tit. ex. l. Senatusconsulto. 59. ff. de ritu nuptiar. tex. l. filium. 14. ff. ad SC. Macedonianum. sex. l. penult. § 1. C. eod. tex. l. si qua. 7. ff. de his qui sui vel al. juris. Zas. consil. 7. vol. 1. Iason & Dd. ad l. Gallus. § institut. ff. de liberis & posthumis.* Ex his porrò auctoritatibus legitimis, in hypothese nostra Nepotes presentes, interpretare filios. Nā si de Legis vel Cōstitutionis dispositione loquamur; generaliter omninò vox Filij ad Nepotem producitur: non solum in favorabilibus, sed odiosis etiam. *per d. l. filium. 14. ff. ad SC. Macedonianum. d. l. Senatusconsulto. 59. ff. de ritu nuptiarum. l. 2. §. si mater. ff. ad SC. Tertullianum. probat Alciatus in libro suo paradoxon. 3. c. 14. Barr. in d. Liberorum. 220. ff. de verbor. in significazione.*

Et his ita dextrè acceptis, adque rem accommodatis: resultabit indè syllogismus rectè contrarius talis: ubi Filij sororis ex utroque latere conjunctæ existunt; Ibi Filij ex uno latere fratrum ad successionem ab intestato non admittuntur. At in proposito casu Filij sororis ex utroque latere conjun-

B s ete

*æ* existunt. Nam Nepotes filiorum nomine in dispositione Constitutionis Imperatoriae continentur, germanico idiomate *Rhinder. per auctoritates allegatas.* Ergò filij ex uno latere fratrum ad successionem ab intestato non admittendi. Hoc probè attento, quòd ex mente & sententia Novellæ Imperatoriae, filij sint, non tantum liberi primi gradus: sed etiam per interpretationem Nepotes: omnis scrupulus exemptus erit.

Nam eadem est ratio, eademque æquitas in nepotibus; quæ est in filijs. consequenter idem jus statuendum. *per l. quadam. §. nummularios. ff. de edendo. l. illud. 32. in prin. ff. ad l. Aquil. l. nauta. §. §. I. ff. na. ta cap. stab.* Imò nepotes respectu matris suæ prædefunctæ etiam verè filij sunt: ut de nomine operosius disputare, necesse non sit. Nec momentum habet: si quis inferat: Nepotes jure repræsentationis non succedunt. Ergò nullo jure succedunt. Nam plus est in conclusione, quàm in præmissis: & à specie ad genus, seu à particulari aliquo ad universale non licet argumentari negativè. *per vulgaria.* Et cum alia successio sit repræsentativa, alia personalis. ut probatum supra Illa sublatâ, hæc remanet: seu illa exclusâ, hæc includitur: ut fieri solet in oppositis speciebus. Imò in totum hac in controversia locus non est repræsentationi juris novissimi. Nec enim ipsa mater filiorum, heres legitima, illo repræsentationis jure successisset, si supervixisset: sed jure proprio personali: perindè ut filij superstites adhuc. Otiosa igitur, & de lana caprina hîc, omnis de repræsentatione illa concertatio est.

Dahin

Dahin hat auch gesehen der Author / so die  
 Ländts Ordnung Lohrer Herrschafft auß dem gemei-  
 nen Rechten tranferirt vñnd auffgesetzt hat / da er  
*l. b. b.* von Erbfallen ohne Testament. *s. lt.* mit ver-  
 standt das teutsche Wort Kinder braucht / welches  
 dem Lateinischen Wort Liberi aller massen gleich  
 stimmet / mit dem ganz einer bedeytung / vñnd gleichē  
 begreiffes ist / daß vñnder dem Namen Liberiorum die  
 Enckel sich verstehen / vñnd beschlossen seind / aller ort-  
 ten in Rechten notori / vñnd ganz ohnzweifelich ist.  
*tex. l. Liberiorum. ff. de verborum significatione, cum simi-*  
*libus passim toto iure.* Wann dan in der Landts Ordo-  
 nung mit fleiß gesetztes Wort / Kinder / mit dem  
 selben / wie gehört / pur eins ist / so erscheinet haiter  
 daß gemelter Author auch die Enckhle begreifen  
 wollen / vñ also wann in Lohrer Herrschafft das Erb  
 gefallen / vñnd der Erb Streit außzuwehen were / Auß  
 dem Wort Kinder propter autoritatem des  
 Landtherrn / so die Landts Ordnung confirmirt hat  
 zu colligiren / das diß falls die Enckhle vom Erbe  
 nicht außgeschlossen seind / der vbrige Inhalt / wo  
 keine Brüder von beeden Banden / noch dero Kin-  
 der in esse seind / daß als dan die Brüder vñnd Bru-  
 ders Kinder von einem Bande den Platz haben  
 simpliciter auffgenommen / ganz thein Streit nicht  
 macht / In auffgesetzter Landts Ordnung so wenig /  
 als im Käyserlichen geschribnen Recht / sondern  
 nur ex priuatione / weil ein Schwester vñnd der  
 Schwester Tochter von beeden Banden / in esse ge-  
 wesen / die hernacher abgeleibt seind / von denen noch  
 Kinder

Kinder oder Enckhle in leben seind/ hie der zweifel  
 furfalt / ob dise Kinder oder Enckhle nicht den  
 Vorzuge haben in successione , vor der verstor-  
 benen brüeder Kindern einfachen bandts? welches  
 ex facto rationibus, zuentschaiden vnd zu erörtern  
 ist / Ein erfahrner Jurist zuvorderst furstendigen  
 fall/vnd dessen qualitates/woll ansihet/betracht vnd  
 erwögt / dan nicht schlechlich zu gehen / oder zu  
 fuoßen ist / auff die regulas, siue sententias genera-  
 les iuris , quæ toto iure periculosa sunt omnes:  
 & facile subverti possunt. *tex. l. 202. ff. de reg. juris.*  
*totiesque officium perdunt, quoties ratio occurrit,*  
*ex qua vitium capiunt. a. g. l. si peculium. § ult. ff. de*  
*manum. §. testamento. l. si quis de pluribus. 27. ff. de re-*  
*bus dubijs.* Demnach vollglick ex generali paraphra-  
 si Lohter Lands Ordnung/ die decisio diß falls / so  
 richtig nicht/ wie man sich dunckhen last / vnd bere-  
 det/ zuersuchen vnd zu schöpffen ist/ weil das jus, wie  
 mehr gemelt/ in der beschaffenheit des falls verbor-  
 gen steckt Vt supra deduxi copiosius ex fontibus,  
 quò me brevitatis gratia refero.

Churfürstlicher Pfalz Landsordnung last Br-  
 ders vnd Schwester Enckhle von beeden banden/mit  
 Brüders oder Schwester Kindern von einem band  
 Erben/ vnd anstehen in stirpes. *sub rubr. von Erb-*  
*schaften ohne Testament. §. hette aber der verstorbe.*  
 Das alt Wirtembergisch Landt Recht ebenmäßig  
 also in stirpes. *fol. 311.* Das erneuerte Landt Recht  
 aber in capita. §. Gleicher gestalt. *fol. 513.* Hæc jura,  
 ut vides oculis subiiciunt. Filios fratrum simplicis  
 vincu-

vinculi, ratione gradus vicinioris; non excludere Nepotes duplicis vinculi remotiores; à successione ab intestato. His ad rem ex alijs locis addi possent plura: sed adscribere operæ precium non est.

Res ut adhuc clarior fiat: Nepotes ex sorore germana repræsentant suo loco ex illa, quoad jus successionis ( de jure loquor, non de gradu, qui per se accidit ) matrem in medio defunctam. *Exemplo. §. cum filius. 6. Instit. de hereditatibus ab intestato.* Ita enim jure civili communi, quilibet filius, etiam ultimo loco, cum parente suo penè eadem est persona. *tex. l. ult. C. de impub. & alijs subst.* Itaque mater si adhuc viveret, excluderet sine dubio, quod sæpe dictum, fratrum filios. Porro filii, superstites, & respectivè nepotes, potentiâ eadem excludere eosdem, ratio est, ex jure fortiori duplici accepto: quod vincit jus simplex filiorum fratrum defunctorum: qui consanguinei tantum fuerunt. Ideoque idem planè jus, simplex nimirum illud: non aliud, nec plus juris vel commodi habent; quàm patres eorum habuerunt. *tex. l. nemo plus juris. 54. & l. nemo plus commodi. 120. ff. de reg. juris.* Absurdum enim fuerit plus juris habere successorè; quàm defunctus habuit; in ejus locum successit. *tex. l. aliud. 160. §. i. d. tit.* Nò debeo, inquit Juriscōsultus, melioris cōditionis esse, quàm Auctor meus; à quo jus in me trāsit. *in l. in his 175. §. ult. d. tit.* Minorè qualitatem cedere majori: duas rationes vincere unam: duo vincula magis ligare quàm unum. Probat Decianus. *Consilio. 15. Vol. i. de collate-*

*collateralium successione. tex. §. sed hodiè. Instit. de ad-  
ptionibus.*

Vndè sequitur toto cœlo errare eos, qui cogna-  
tionem plenam; vulgò duplicitatem vinculi, *Die  
Sibshafft von baiden banden*; ita à repræsentatio-  
ne noviter introducta in *Novella. 118. c. 3.* dependere  
autumant: ut hac cessante tertio gradu, cognatio  
quoque cesset, & quasi perempta sit. Quæ enim no-  
mine, causa, & effectu differunt, in negotijs foren-  
sibus permiscenda, & confundenda non sunt. De  
nominibus diversis res per se patet. Respectu cau-  
sæ: Repræsentatio illa est juris civilis. Cognatio est  
juris naturalis per deducta supra. Ex effectu: Re-  
præsentationis jus totum fictitium est hominis:  
Cognitionis jus verum est naturæ. Fictionem verò  
naturam imitari convenit, non destruere naturam:  
nec operari contra ius naturæ. *glos. notab. in l. talis  
scriptura. §. si. ff. de Legat. 1.* Jus igitur duplicitatis vin-  
culi diversum omninò est, à privilegio repræsentata-  
tionis. Ergò ab uno ad aliud nulla est consequen-  
tia. nam à diversis nò infertur ad idem. *pe. v. lga. ia.*

Sed ex qualitate & differentia illa: quòd alij co-  
gnati sunt duplicis vinculi, seu utriusque lateris:  
alij unius vinculi, seu unius lateris, *Also hie auff ei-  
ner seiten Erben von baiden bádē / auff der andern  
seiten Erbē von einem Bandt*: facti species in frôte  
præfixa, decidèda est. Qualitates has rectissimè for-  
males dixeris, quæ à re seu subjecto suo separari  
non possunt: Vel si separaveris rem sustuleris, ac si  
nunquam in rerum natura fuisset. Forma enim dat  
esse



esse rei: & sine forma res non incipit esse. *tex. l. Iulianus. 9. §. si quis rem. ff. ad exhibendum, & l. si is qui quadraginta 80. §. quaedam. ff. ad L. Falcidiam.* Argumenti loco sit, quòd & alibi in jure diversæ qualitates; quibus heredes inter se differunt; in decidendis causis observari, & ponderari solent *tot. tit. Instit. de heredum qualitate & differentia.* Cessat representatio tertio gradu, ea ratione; quatenus causa est successionis in stirpes, certo limite à Justiniano Imperatore præscripto: non quatenus representatio causa est successionis in capita. Nam Nepotes in gradu quarto, & post hos ulteriores cognati non ex sese sunt; sed ortum ducunt, à prædecessoribus suis; quibus succedunt, eos in jure universo representant. Nullum heredem cuiuscunq; sit lineæ vel generis, absque representatione (largius verbo sumpto) succedere posse: axioma juris est, ad eò certum, ut irrefutabile. Secus qui dixerit principia juris negaverit.

Itaque conclude ex præmissis; Nepotes tres Joannem, Barbaram, Mariam in Schematismo à sinistris infimo loco; excludere à dextris à successione Marzolfi defuncti Adamum, Anstetium, & Consortes ejusdem fratrum filios omnes; fortè numero decem. Quia soli sunt ex Germanis nati; nullo alio Germano cum illis concurrente. Magnus Germaniæ Jureconsultus Hermannus Vultejus *lib. 1. Jurisprudentia Romana tit. 74.* controversiam extricat, & determinat his verbis: Si fratres, inquit, & sorores germani soli sint, succedunt soli: exclusis uterinis,

uterinis, & consanguineis: qui dum demum admittuntur; si Germani defuncto nulli supersint; aut ex Germanis nati. Hic sub natis ex Germanis liquidò constat compræhendi tam Nepotes natos, quàm natos Filios. Collige ex generali complexu verborum, quæ generaliter enunciata, generaliter accipienda sunt. *arg. l. 1. §. generaliter. ff. de Legat. præstand. l. si servitus. 23. ff. de servitutib. urb. præd. & l. de precio. 8 ff. de pub. in rem actione.*

Omni enim modo Nepotibus ius sanguinis proprium debet esse integrum. In his quippè priori loco attendenda est potior ratio succedendi, præ reliquis cognatis: quæ est cognatio plena, seu vinculum duplex naturale consanguinitatis & uterinitatis: uno verbo, ut ita loquar, Germanitas, Germanis *Die blutsfreundschaft von beyden banden.* Posteriori loco gradus. Et fallit hîc regula, unius inclusionem esse alterius exclusionem. Imò per gradus proximitatem excludi non potest, nisi is, qui minus pleno, vel infirmiori est iure: non is qui pari est iure. *ex Auth. post fratres fratrum. C. de legitimis heredib.* multò minus alius qui iure pleniori, & potiori præualet: quod interpretes ius Attinentiæ vocant: quo sæpenumerò remotior gradu, vincit eum, qui gradu est propior. quod exemplis illustrare proclivè esset: nisi talia obvia essent *passim. tot. tit. de gradibus, & Affinibus.*

Ex quo Doctores quidam, quos Gothofredus Jurisconsultus *ad d. c. 3. Novel. in notis suis sub lit. Q. refert:* non tamè nominat: mihi rectè votis suis tueri vident.

videntur: Repræsentationem Nepotis jure civili  
 in infinitum extendi, in linea collateralis: atque  
 adeo Pronepotes, & Trinepotes propiores esse pa-  
 truo, hæc ille. Nam suo modo talis traditio est ve-  
 ra. In causa nostra, si heredes omnes ex utraque  
 parte essent pari qualitate, & conditione: Veluti  
 si filij Fratrum essent ex Germanis nati, ut sunt  
 Nepotes: Vel vice versa Nepotes essent nati ex  
 consanguineis tantum, ut sunt Filij fratrum. Bene  
 video, quod tum gradu propiore obstante; & re-  
 præsentatione gradus sive loci cessante: ceteris pa-  
 ribus Nepotes non admitterentur ad successio-  
 nem. Cum verò è contrario heredes sint dispari  
 qualitate, & conditione, Nepotes sint Sororis ger-  
 manæ: Filij ex fratribus consanguineis tantum.  
 Jam res pro qualitate diversa plana est in jure: Ne-  
 potes heredes esse: Filios excludi, nam pater eo-  
 rum, si viveret aliquis æquè exclusus esset. quo ju-  
 re rogas? Jure duplicitatis vinculi, quo Nepotes  
 patruo sunt propiores. Nam disparitas & respe-  
 ctus vinculorum unius vel duorum facit; ut quis  
 sit in propiore, vel remotiore gradu. ait Wesenb.  
*Consil. 84. in principio.* Vbi que in jure successio ma-  
 gis descendit, quàm ascendit: adeo etiam in linea  
 collateralis superiori gradu relicto, facilius in infe-  
 riorem gradum succeditur. *glo. Instit. de cognato-  
 rum successione, in fi. Bl. in autb. post fratres C. de legit.  
 mis heredib. Zas. in rep. feud. de feud. success. numero  
 18. per tex. Auth. de heredib. ab intest. ven. cap. 3. Vers. il-  
 lud palam.* Justinianeam repræsentationem tan-

tum locum habere inter heredes ejusdem omnino qualitatis; diversi tamen gradus, qui ignorat: is maximam juris, quæ vel Tyroni, aut Justiniano novo nota esse debet, ignorat.

Denique non refert: quod prædicti Filij à masculis originem habent: Nepotes ex fœminis nati sunt. Nam discrimen sexus inter masculos & fœminas: quod veteri jure per varias ambages observabatur, in successione ab intestato: novello jure hodiè penitus sublata est. *per textus notorios.* Negotium verò controversum inter nos, in hoc cardine ferè versatur: An cognatio duplicis vinculi, vel utriusque lateris, quæ in avia Ottilia, & huius filia Barbara indubiè fuit: ijs vitâ defunctis, jam Nepotibus misellis excussa & subrepta sit: undè excludantur illi ab hereditate prædefuncti fratris aviæ suæ; à filijs alterius fratris, vel fratrum ex uno latere; his uno gradu inferiores? quod negamus. Nam à natura infusum; & juris naturalis vinculum est illud: proindè immutabile, indissolubile, incorruptibile. per allegata superius jura apertissima. Et cognatorum ordines: tum prior fratrum, & filiorum fratris: tum posterior Nepotum, & ulteriorum: singuli per se seorsim considerati in fontibus juris, rem offerunt planam. Mixtim verò, Frater & fratris filij ordinis anterioris; Nepotes fratris, ordinis posterioris, tum demum excludant: si utrinque personarum qualitas sit eadem, nam diversa si sit qualitas, tum potior & fortior qualitas vincit: & ita verissimum est: viciniorem gradum, remotio-


remotiolem non excludere, nisi cætera sint paria.

Adhuc adijcere placet: Disparitatem & respectum vinculorum unius vel duorum, non tantum in fratribus, & filijs fratrum considerari jure Saxo- nico: sed durare ulterius, vel in infinitum. *Differ. Sax. 26. cum similibus.* Jus igitur duplicis vinculi fra- tribus, & fratrum filijs competit: sed non solis, nam & Nepotibus ex illis. Privilegium verò repræ- sentationis ex novissimo jure civili, fratrum filijs solis competit: illisque proprium est καὶ αὐτὸ, si concurrant circa successionem cum patruo. non aliter. Et aliud est jus duplicis vinculi: aliud privile- gium repræsentationis loci, sive gradus, quod dixi in principio. Confusio utriusque errores varios peperit: quos pragmatici sub nomine seu colore communium opinionum venditant: sed deci- piunt Emptores merce falsâ pro vera traditâ. In- valeat (inquit Zasius in Epistola quadam) inva- leat Opinatorum turba, inferi & superi, & qui me- dium inter illos orbem tenent: opinio, opinio in- clament: Nos stentoreâ voce veritas, veritas accla- mabimus. Hic subsisto: & Nepotes in terminis ad successionem, exclusis filijs fratrum, ex jure Justi- niano admitto. Claudat numerum illud: quod Imperator Justinianus omnibus Judicibus seridò præcipit: Ne judicent exemplis: sed legibus: & ve- ritatem Legum, Justitiæque sequantur vestigia. *l. nemo iudex. 13. C. de sententijs, & interlocutionibus omnium iudicium.*

FINIS.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in approximately 20 horizontal lines across the page.









102 898

X 220 3568

ULB Halle


3

006 685 20X



66.

VD A





RESPONSVM

**EX FACTO SINGULARE, CIRCA  
SUCCESSIONEM AB INTES-  
TATO: VBI QUÆRITVR: AN IN NEPOTI-  
bus fratris lineæ collateralis, quarto gradu,  
Duplicitas vinculi, quam vocant, &  
jus representationis ex-  
piret?**

EDITVM,

A

TOBIA KIRCHMAIR. I. V.  
Doctore.



ARGENTORATI.

Typis PAVLI LEDERTZ.

M. D. C. XXIV.